

QUÆSTIO CIX.

DE GRATIA.

Circa titulum hujus quæstionis, et materiæ quem posuit S. Thomas, scilicet quod considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, multi moventur quomodo sanctus doctor appellat gratiam principium extrinsecum humanorum actuum, si quidem est aliquid intrinsece inhærens nobis, unde gratia interna distingui solet contra externam protectionem Dei, quæ nomine gratiæ externæ appellari solet. Gratia autem interna, vel est habitus, vel aliqua motio, seu qualitas nobis impressa, atque adeo intra nos existens.

Multi dicunt vitiatum esse textum D. Thomæ, nec esse legendum de exteriori principio quod est gratia, sed de Deo, qui nos movet per gratiam, ita ut principium externum non sit gratia, quæ nobis infunditur, et inhæret, sed ipse Deus illam infundens. Ita pater Vazquez, Lorca, Montesinos et alii.

Mihi videtur non ita anxie de hoc esse curandum, sed tamen (ut diximus in tractatu de connexionem omnium quæstionum D. Thomæ circa quæstionem xc, hujus primæ secundæ) vocatur gratia principium extrinsecum, quia licet ponat aliquid in anima, vel per modum habitus, ut gratia sanctificans, vel per modum motionis, ut gratia auxilians, totum hoc provenit in nobis ab exteriori principio, quod est Deus, tamquam participatio illius: sicut impulsus in lapide, licet illi inhæreat, tamen dicitur ab extrinseco moveri, quia provenit et imprimatur a principio extrinseco: in his autem motionibus, vel qualitatibus, quæ sunt participationes alicujus moventis extrinseci, denominatio non sumitur ab entitate ut inhæret, sed secundum quod gerit vices illius principii extrinseci a quo participatur, imo non est inconueniens, quod intra genus gratiæ, qualitates quæ sunt habitus, et virtutes etiam numerentur inter principia intrinseca humanorum actuum. Sicut numeravit D. Thomas virtutes theologicas supra quæstione lxii, quas tamen constat esse supernaturales, licet in alia consideratione in quantum sunt participationes Dei elevantis, et moventis nos, dici possint principia extrinseca.

ORDO TOTIUS MATERIÆ.

Ut connexionem, et ordinem hujus materiæ de gratia cum reliquis, quæ tractantur in hac prima secundæ intelligamus, supponendum est, quod intentum sanctus doctor in hac prima secundæ est agere de Deo ut est finis ultimus assequibilis per actus nostros, unde in ipso principio agit de fine ultimo, tam quoad rationem formalem finis, quam quoad ipsam rem in qua invenitur, quæ est Deus beatificans. Secundo vero agit de actibus, quibus ad hunc finem pervenitur, vel a Deo deviat; et isti actus sunt actus rationales, liberi, et voluntarii, de quibus, eorumque rectitudine, et malitia agit a quæstione vi, usque ad xl. Sed cum hoc discrimine, quod prius agit de illis actibus, qui per se, et essentialiter sunt voluntarii, id est, ab ipsamet voluntate procedentes per intentionem, electionem, imperium, et reliquos actus: deinde vero de illis qui participative

sunt voluntarii, et liberi, quales sunt actus appetitus sensitivi, qui vocantur passiones, de quibus agit a quæstione xxii, usque ad xl. A quæstione autem xl, incipit sanctus doctor agere de principiis a quibus procedunt isti actus, et ista principia sunt in duplici differentia. Quædam sunt intrinseca, id est, nobis inhærentia, vel a nobis exteriora; quædam extrinseca, id est, ab aliquo principio extrinseco provenientia, licet nobis inhæreant; et principia intrinseca sunt habitus, vel potentiæ; de potentiis agit secunda parte tractando de natura animæ: de habitibus agit hic tam in communi, quam in particulari; tam de acquisitis, quam de infusis; tam de virtutibus, quam de vitiis, et peccatis, eorumque causis, usque ad quæstionem xc.

A quæstione vero xc, incipit agere de principiis extrinsecis quibus movemur; et de diabolo, et homine movente per suasionem egerat secunda parte, tractando de tentatione diaboli, et iterum hic tractando de peccatis: de Deo autem movente ad actus humanos agit hic, qui dupliciter nos movet, primo, instruendo per legem, et ideo agit de legibus usque ad quæstionem cviii: secundo, adjuvando, et dando vires per gratiam, et ideo agit de gratia a quæstione cix, usque ad finem.

Totum autem tractatum de gratia absolvit completissime D. Thomas triplici conditione. Primo, agendo de ipsa gratia in se: secundo, de ejus causa: tertio, de ejus effectibus. Et quidem ipsa gratia secundum se consideratur tripliciter, scilicet an sit, quid sit, quotuplex sit. Quoad an est consideratur in hac quæstione cix, in qua S. Thomas ostendit necessitatem gratiæ, tam ex parte intellectus quoad verum, quam ex parte voluntatis quoad bonum. Quantum ad quid est, consideratur quæstione cx, ubi agitur de quidditate gratiæ, quod pertinet ad ejus definitionem. Quotuplex sit, quod pertinet ad divisionem tractatur in quæstione cxii. Expedita autem consideratione de gratia secundum se agit de causa gratiæ, et solum agit de causa efficiente, quia materialis causa, quæ est subjectum recipiens, est ipsa anima, vel Angelus, de quibus actum est in prima parte. Formalis causa est ipsamet natura gratiæ, quæ sanctificat animam, finalis est ipsa vita æterna, et finis ultimus, de quo actum est in principio hujus partis, et iterum in quæstione xii primæ partis. Restabat ergo solum agere de causa efficiente quæ est Deus infundens gratiam, et de ista agit quæstione cxiii. Denique ultimo agit de effectibus gratiæ qui sunt in duplici differentia; alter est effectus formalis proveniens a gratia sanctificante, qui est justificatio, de qua agit quæstione cxiiii; alter est effectus proveniens a gratia in genere causæ effectivæ, scilicet meritum, quod proprie efficitur a gratia, et de isto agit quæstione cxv, et ultima.

QUÆSTIO CIX.

DE EXTERIORI PRINCIPIO HUMANORUM ACTUUM, SCILICET DE GRATIA DEI.

ARTICULUS I.

Utrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit?

Conclusio est: Ad cognitionem cujuscumque veri indiget homo au-

xilio Dei movente, non autem indiget ad cognoscendam quæcumque veritatem infusione novi luminis, seu virtutis superadditæ, sed solum ad cognoscenda illa, quæ naturalem cognitionem excedunt.

ARTICULUS II.

Utrum homo possit velle, et facere bonum absque gratia Dei?

A vero quod pertinet ad intellectum transit D. Thomas ad bonum quod pertinet ad voluntatem, et respondet tribus conclusionibus. Prima conclusio: Ad bonum supernaturale indiget homo in omni statu virtute supernaturali superaddita et auxilio concurrente, seu movente. Secunda conclusio: Ad volendum, et faciendum bonum proportionatum naturæ non indiget homo in statu integritatis virtute superaddita, sed solum auxilio movente in illo ordine. Tertia conclusio: In statu naturæ corruptæ, sicut modo sumus, non potest homo implere totum bonum etiam sibi proportionatum, et connaturale, nisi sanctificetur per gratiam: potest tamen in hoc statu per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere sine auxilio supernaturali.

ARTICULUS III.

Utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia?

Cum D. Thomas egerit in præcedenti articulo de necessitate gratiæ ad quodcumque bonum in communi, descendit in hoc articulo ad quædam bona particularia de quibus potest esse specialis difficultas. Et primo, occurrit dilectio Dei, quia volitio finis est vehementior, et connaturalior; deinde in sequentibus agit de impletione præceptorum, quæ versantur erga media, et loquitur expresse sanctus doctor de dilectione Dei naturali, eamque distinguit ab actu charitatis solutione ad

primum. Conclusio est: Ad diligendum Deum super omnia naturali dilectione in statu naturæ integræ non indigebat homo dono gratiæ superaddito, sed solum auxilio, et concursu Dei movente: in statu autem naturæ corruptæ indiget homo auxilio gratiæ sanantis, et non solum auxilio movente, quia natura corrupta magis sequitur bonum proprium, et privatum, quam universale, quod est Deus.

ARTICULUS IV

Utrum homo sine gratia per sua naturalia, legis præcepta implere possit?

I. Mandata legis intelliguntur præcepta de bonis operibus, seu actibus virtutum præter dilectionem Dei, de qua articulo præcedenti actum est. Et distinguit S. Thomas impletionem mandatorum quoad substantiam operum, et quoad modum faciendi. Substantia operis est ipse actus virtutis ex objecto consideratus, puta actus fortitudinis, temperatiæ, etc. modus faciendi est motivum ex quo fiunt, scilicet quod fiant ex charitate, et amore Dei.

II. Respondet duplici conclusione. Prima: Ad implendum mandata legis in statu naturæ integræ non indigebat homo gratia sanante; bene tamen in statu naturæ corruptæ; et in utroque statu indiget homo auxilio movente. Secunda conclusio: Ad implendum legis mandata quantum ad modum, scilicet ut ex charitate fiant in utroque statu, indiget homo auxilio supernaturali, et in hoc sensu explicat sanctus doctor verbum Augustini libro de correptione et gratia, cap. II: « Quod sine gratia nullum prorsus bonum homines faciunt, » explicat enim hoc de bono

quod fit ex dilectione Dei, subdit enim Augustinus: « Non solum monstrante ipsa gratia quid faciendum sit, sed ut præstante ipsa faciant cum dilectione, quod sciunt. » Unde colligitur quod apud Augustinum interpretantem D. Thomam non requiritur gratia Dei ad omne opus bonum quantumcumque minimum, nisi fiat ex motivo supernaturali.

DISPUTATIO XIX.

DE NECESSITATE GRATIÆ RESPECTU OPERUM QUOAD SUBSTANTIAM NATURALIUM.

ARTICULUS I.

Jaciuntur fundamenta, et præsupposita totius materiæ.

I. Quatuor in præsentia notanda sunt, quæ pro fundamento dicendorum in hac materia de gratia oportet supponere. Primum est, ad tollendam æquivocationem hujus nominis gratia, explicare in qua acceptione hic a nobis accipiat: secundum est, quid sint in libero arbitrio vires ad operandum, et quid sit infirmitas, ratione cujus operari non potest, nisi sanetur: tertium, quid sint status hominis, in quibus diverso modo requiritur gratia, vel supponuntur vires ad operandum: quartum, quæ sint officia, et munera gratiæ, quæ frequenter in hac materia reperiuntur, ut est gratia sanctificans, gratia elevans, gratia auxilians; et alia similia, quæ diversa officia gratiæ designant, et oportet eorum notitiam præhabere.

II. Quantum ad primum plerique varias gratiæ acceptiones derivant; nos vero ad duo capita omnia reducimus. Dico ergo quod hoc nomen

gratus, aliquando derivatur ab hoc adverbio gratis: a nomine gratus significat duo: primo, esse gratum seu acceptum alicui: secundo, gratitudinem exhibere alteri. Ratione primi dicitur gratiam habere apud aliquem, qui est illi gratus, et acceptus, et ex hoc ulterius solet accipi gratia pro venustate, seu pulchritudine, quia hæc reddit aliquem gratum, et amabilem, sicut in Ps. LXIV: *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Et in spiritualibus significat gratia sanctitatem quæ reddit animam pulchram, et gratiosam Deo. Ratione vero secundi dicitur gratias agere, qui non est ingratus beneficio accepto.

III. Ab adverbio autem gratis derivatur gratia prout significat quodcumque bonum, seu beneficium liberaliter collatum; non sufficit autem ad rationem beneficii, quod libere detur ab alio, nam etiam multa mala, sive damna libere inferri possunt, quæ non sunt beneficia, unde mala dicuntur inferri, beneficia conferri, quia debent esse in bonum, et commodum recipientis. Unde pro quocumque beneficio possumus rogare Deum, non autem pro quocumque libere collato a Deo, nam pro permissione peccati, imo et pro concursu ipso ad materiale peccati non debemus rogare Deum, quia licet ab ipso libere detur, non tamen est in nostrum commodum, et utilitatem.

IV. Igitur gratia in hoc sensu est idem, quod donum seu beneficium Dei in alicujus bonum ordinatum, sed quia multiplex est beneficium Dei, multiplex est etiam gratiæ acceptio, sed generaliter ad duo capita revocatur. Vel enim est beneficium ordinis naturalis, vel supernaturalis, et primum pertinet ad donum creationis, scilicet ad productionem naturæ, et eorum quæ naturæ debentur: secundum vero est id quod